~~25.~~ 27

DONANTE AUXILIUM ELOHIM,
&
Ampliſſimo Medicorum Ordine facultatem
gratioſe concedente,

CHYLUM

ſecundum & præter naturam ſpectatum

DISPUTATIONE MEDICA

In
PERVETUSTA AD HIERAM ACADEMIA
PRÆSIDE

ANDREA Eyßel /

Philoſoph. & Medicinæ Doctore, Facult. Philoſ. Aſſeſſ.
& Collegii Evangelico-Auguſtiniani Profeſſ.
Logicæ.

Publico & placido Dominorum Philiatrorum examini
ſubmittit ventilandum
Reſpondens

JOHANNES HENRICUS Spieß /

Cruciburgo-Haſſus,

Die 12. *Januar. Anno M. DC. XCIV.*
IN AUDITORIO COLLEGII MAJORIS.

ERFURTI, Literis KINDLEBI.

VIRIS

Prænobiliſſimo, Excellentiſſimo, Ampliſſimo & Conſultiſſimo

DN. GEORGIO LUDOVICO Schelhaſen/

J. U. LICENTIATO celeberrimo, SERENISSIMO DUCI SAXO-ISENACENSI ab Aulæ atque Eccleſiæ Conſiliis &c.

Ut &

Maxime Reverendo, Ampliſſimo atq; Excellentisſimo

DN. M. JOHANNI CHRISTOPHORO Zerbſt/

Altè præmemoratæ ſuæ Celſitudini à Conſiliis Sacris, Eccleſiæ Iſenacenſis vicinarumque Superintendenti meritiſſimo, Theologo pietatis Zelo & eruditionis ſplendore famigeratiſſimo,

Dominis Mecœnatibus, Patronis ac Promotoribus ſuis ſingulari pietatis & obſervantiæ ſtudio ad urnam usque devenerandis,

Salutem & omnigenam felicitatem!

CUm novi ſub anni auſpiciis, *Mecœnates Maximi*, quibus ad unum fere omnes piis inter ſe votis ac munuſculis certare aſſolent, & veſtra quoq; *Nomina Ampliſſima* devote compellare audeo, non ea mihi vana mentis inſedit perſvaſio, quod â me in vos veſtra Amplitudine, veſtrâque in me meaque ſtudia providentia ac benevolentia quicquam dignum poſſit proficiſci

ficiſci. Recenti etenim & grata memoria volvens primum juventutis meæ ſtudiorumq; formandorum tempus, quod in Lyceo veſtro cum ſaluberrimo literarum mearum incremento tranſegi, tantum intueor beneficiorum cumulum, ut ipſe mihi impar plane videar, eadem condigne ruminari, ne ſtudiis atque munuſculis meis pro merito remunerari. Hanc ſibi gloriam ſuo quaſi jure vindicat Επόπτης veſtra, quam in utramque, literariam præſertim, Rempublicam unicamq; ejus Salutem provida ſemper cura inſolidum adminiſtraſtis. Alta mihi mente repoſta manent conſilia veſtra, quæ pro juventute Scholaſtica, in literis pariter ac moribus dextere formanda, interdiu & nocte agitaſtis, agitata plus quam Paterno affectu, uti omnibus, ita & mihi ſeveriſſimè inſtillaſtis. Unica hæc mihi meis in ſtudiis cynoſura extiterunt atq; Pharus, quam ſi ſomnolento ac temerario auſu prætervectus eſſem, non in ipſo ſolum ſtudiorum meorum vado, ſed & plenario etiamnum curſu felicitatis meæ naufragium me feciſſe judicarem præſentiſſimum. Pro tam ingenti veſtrorum in me beneficiorum cumulo dum aliquod gratitudinis meditor monumentum, mea in vos me pietas monuit, id ipſum grata ad vos mente derivare, quod â vigilantisſima veſtra meas in literas providentia unice manavit. Et hoc ipſum ſunt dulcisſimi Scholaſticæ meæ atq; Academicæ diligentiæ fructus, quos ex prælaudatis veſtris conſiliis ſaluberrimis auſpicato decerpere contigit. Hos ea propter, alteras nimirum publicæ diligentiæ primitias, ſtrenulæ ac debitæ gratitudinis loco veſtris mancipo Nominibus Amplisſimis, cum calidisſimo intemeratæ ſanitatis ac perennantis omnigenæ proſperitatis voto. Has igitur ſereno accipite vultu, meq; ulteriori veſtra benevolentia atq; affectu indulgentisſimo ad majora provocate ſtudia.

Ampliſſimorum veſtrorum Nominum
Devotus Cultor
RESPONDENS.

Dabam Erfurti
d. 12. Jan. A. 1694.

D. A. E.

DE Chylo totius Microcoſmi irriguo a-cturi, ſtricto Methodologiæ jure tenemur, Diſſertationem noſtram, ne ſoluta nimis diffluat, certis conſtringere limitibus; De his vero rite conſtituendis non eſt, ut nimium ſimus ſoliciti. Ipſa etenim Diſſertationis noſtræ facies & rubrica generalem ſtatim materiæ noſtræ διχοτομίαν digitō quaſi indice commonſtratam ſuppeditat. Hanc preſſo ſecuturi pede, ad ipſam rem nos accingimus, &, implorato prius atque exorato Dei Ter Optimi Maximi auxilio, feliciter ordimur

CAPUT PRIMUM
De
Chylo ſecundum naturam conſtituto.

§. I.

SEqueſtratis omnibus, quæ vulgo, ad thematum tractandorum onomatologiam ſpectantia, anxio nimis atquè prolixo ſtudio ex complurium Autorum libris compilata inutiliter ſæpius recenſentur, ad ipſam Diſſertationis metam noſtrum dirigimus negotium, pro re nata examinaturi chylum ſecundum naturam conſtitutum, eundem â primis incunabulis derivantes, atq; majora, quæ ſubinde capit, incrementa, ac neceſſaria, quæ naturæ præbet, emolumenta luſtrantes.

§. 2. Ne

§. 2. Ne vero Andabatarum more hanc noſtram aggrediamur diſceptationem, neſcii, quid nobis hoc loco & tempore faceſſat negotium, animus eſt pro ordine, qui allubuit, plenariam quandam atque hiſtoricam chyli elaborandi delineationem toti diſcurſui tanquam fundamentum ſupponendi. Hanc vero ſequentem in modum concinnamus: Chylus eſt pars aſſumptorum tenuior, fluidior, albicans, gelatinoſa, beneficio Salivæ, liquoris ſtomachalis fermentantis, bilis & ſucci pancreatici ſoluta atque ab inutilibus illorum partibus ſegregata, quæ per carneam & ſpongioſam inteſtinorum cruſtam in venas lacteas motu inteſtinorum periſtaltico percolata, indeque ad commune ductus thoracici ſeu chyliferi receptaculum delata, & cum lympha continuò ibidem alluente permixta, ad ſubclaviam venam & inde ad cavam defertur, ex qua in cor effuſa & cum ſangvine bilioſo prædictis in vaſis ſangviferis confuſa ſangvinis indolem induit inchoative, in cordis ventriculo dextero abſolutive, in pulmonibus, ſiniſtro cordis ventriculo & arteria magna perfective, ad totius naturæ pabulum, ſubſidium, reſtauramentum, & continuum ſangvinis ad omnes partes commeatum conſervandum.

§. 3. Umbratilis hæc & rudi minervâ delineata Chyli deſcriptio, ad triplicem ejusdem ſtatum, pro triplici, in quo notabiles ſubit mutationes, foco, nos manu quaſi deducit. Primus ejusdem ſtatus merè præliminaris ac diſpoſitivæ præparationis ſeu primæ mutationis eſt; Secundus plenariæ elaborationis; Tertius conſummatæ perfectionis.

§. 4. In primo ſtatu materia Chyli ex qua, aſſumpta nimirum alimenta, ſic ad Chyli ſegregationem diſponuntur, ut illorum compage atque ſtructura, beneficio dentium comminutorum, penitus deſtructa, & ſolutis illorum vinculis, chylus inde tanquam potentiæ remotæ incunabilis explicatus ad potentiæ proximæ gradum collocetur. Et hæc diſpoſitiva Chyli præparatio in primo chylificationis foco, ore nimirum, peragitur.

§. 5. Ex dictis luce meridiana clarius pateſcit, hunc ſtatum Chyli eſſe mere potentialem, quippe in quo chylus non actu & formaliter, ſed ſola potentia & virtualiter (in potentia & virtute cauſæ materialis ſeu aſſumptorum alimentoſa & nutritiva) chylus eſt, qui tamen ex hac materiæ potentia â cauſis primæ huic in ore peragendæ mutationi â natura deſtinatis, inque cauſandi actu poſitis, de facili liberatur, atq; ex vinculis, quibus alias erat ligatus, expeditur, inque actum magis magisquè deducitur.

§. 6. Hoc ut explicatius doceamus, operæ pretium eſt, brevisſimis indigitare ſolenniores operationes in ore fieri ſolitas. Principes autem & palmariæ ſunt primum alimentorum in minimas partes â dentibus facta comminutio, maſticatio dicta, deinde ſalivæ cum aſſumptis comminuendis commixtio, & tandem vinculorum, quibus partes alimentoſæ cum tota aſſumptorum compage cohærent, ſolutio: Quibus deniquè accedit deglutitio, tanquam conditio, promovendæ ulterioris in ventriculo chylificationis, ſine qua non.

§. 7. Quam inevitabilis necesſitatis ſit prima operatio, alimentorum nempe maſticatio, comprobat πολυθρύλλητον illud Medicorum: Unicam offam probe cominutam & maſticatam plus commodi afferre naturæ, quam decem imò plures minus exacte contritas. Et in promptu ſunt rationes: Quis enim non intelligit, alimenta non bene contrita atque inciſa, cum ventriculi fermentum hoc illa pacto κατὰ περιχώρησιν nequeat compenetrare, ſed ſuperficietenus ſaltem attingat, in ventriculo ἀδιάλυτα ſeu irreſoluta maneant. Imo quotidiana nos docet experientia, ſegnem atque oſcitantem alimentorum contritionem peregrinos in ſtomacho acores, ſapores, & ſexcentas alias noxas contraxiſſe, & inde variorum morborum ſemina in M. S. diſſeminaſſe: Contra ea diligentem contritionem tantæ malorum catervæ fortisſimas ſemper cataractas oppoſuiſſe. Et ſi nobis integrum ſit hariolari, qua de cauſa Omnipotens rerum omnium Creator cornigera animantia quatuor ventriculis

inſtruxerit, rem acu nos tetigiſſe arbitramur, ſi explicata pronunciemus fronte, hoc ipſo ſuperficiariam aſſumptorum & rudiorem, ob ſeriem dentium ſuperiorum deficientem, comminutionem, per quatuor prædictos ventriculos, inque illis factam ruminationem, largius compenſaſſe.

§. 8. Quæ circa maſticationem & prægreſſam alimentorum, potulentorum præſertim, aſſumptionem, ſuccione & attractione factam, moveri ſolent dubia, num ſcilicet ſuccionis cauſa ſit fuga vacui? tanti momenti non ſunt, ut prolixe iisdem immoremur. Certum equidem & in confeſſo omnium eſt, quod procurato in ore vacuo, potulenta in os propellantur, & fluidorum motio non niſi in vacuum locum propendeat, quodve natura omni modo declinet & præcaveat vacuum; ut adeo abſurdum non ſit, fugam vacui, ſeu naturæ ab illo abhorreſcentiam, & id præcavendi propenſionem, cauſam attractivæ hujus motionis ſtatuere, ſed ex claſſe potius finalium ſeu moventium, quam efficientium. Dicimus ergo: uti omnes motiones, ita & potulentorum ſuccio, fit â pulſione tanquam cauſa efficiente, beneficio aeris propellentis. Hiſce igitur ſuppoſitis apparet, vix ad quæſtionis metam collineare nonnullorum objectionem, argumentantium: Nullum ens privativum eſt cauſa poſitivi: vacuum eſt ens privativum. E. non eſt cauſa poſitivi, ſuccionis nempe, actionis realis & poſitivæ. Non enim quæſtio eſt de vacuo, quod omnium calculo ens privativum eſt, ſed potius de fuga vacui, quæ nihil aliud, quam intrinſeca & ab Omnipotente Creatore concreata naturæ propenſio & inclinatio ad rerum in hac univerſitate exiſtentium arctisſimam cohæſionem, atque naturalis vacuum evitandi impulſus, id quod omnino poſitivum quid eſt. Nulla nos circa maſticationem urget difficultas, quo pacto nimirum & quibus inſtrumentis peragatur? Quomodo lingua huic negotio auxiliares afferat manus? alimenta in ore maſticanda agitando, motitando & hinc inde propellendo, quod & muſculi, buccinatores præſertim, & muſculus circa labia, ſuum conferant ἐπιβάλλον μέρος, alimenta ſubigendo.

§. 9.

§. 9. Sed miſſis hiſce tranſitum potius facimus ad ſecundam operationem, Salivæ nimirum intimam cum alimentis comminuendis commixtionem. Hanc rem facilius atque felicius expedientes, curæ cordique habeamus Salivæ natales, qui non aliunde derivandi, quam ex M. S. Inde enim tanquam ſuperfluum & excrementitium propullulat ſaliva, proſapiæ Salinæ progenies; ea de cauſa non nemo appellat Sal M. Sæ, ſuperfluum. Quæ vero huic Sali Maſſæ ſangvineæ ſuperfluo ê corpore derivando natura deſtinaverit emunctoria, in propatulo & Sole poſitum eſt. Glandulæ nimirum ſunt, & quidem Salivales, tam internæ ventriculi æſophagæi &c. quam externæ, ſalivales oris, in quarum cenſum & uvula numeratur: Glandulæ itidem maxillares Superiores Stenonianæ, Parotides dictæ, ex papillula, â natura ſibi appoſita, copioſiorem lympham in os deplorantes. Inferiores ſublinquales Warthonianæ, uberrima quoque Salientes lympha, idquê ſtriatim ſæpius, uti hoc ipſum in Scorbuticis & tempore præſertim eſuriali videre licet. Ex quo etiam parœmialis illa locutio, *Salivam alicui movere*, ſuam traxit originem, quando nimirum appetitu â re palato noſtro jucunda, vel ſermonibus de eſculentis & potulentis optime ſapidis proritato glandulæ ſublinquales ad lympham ſtriatim fundendam ſtimulantur.

§. 10. Dum ſalivam Sal M. S. excrementitium ſalutavimus, ſponte ſe offert decantatisſima illa, inque Medicorum Schola ultro citroquê agitata quæſtio: Num ſaliva inter excrementitia naturæ inutilia numeranda? Ad quam rotunde reſpondemus negando, docentes, humorem hunc ſalinum ê prædictis glandulis ſalientem, âque ſero maſſæ ſangvineæ ſpecifico oriundum, variis iisque præſtantisſimis muneribus â natura eſſe conſecratum. Præter id enim, quod proxime, immediate & per ſe (in ſtatu intellige naturali) â natura deſtinatus ad laxanda alimentorum vincula, intimiorem eorundem πειγχωρίσως factam ſubactionem, atque feliciorem in ventriculo fieri ſolitam fermentationem, per accidens etiam in ſtatu

prætet-

præternaturali ad complures alios uſus non omnino contemnendos dirigitur.

§. 11. Et hoc ipſum negare eſſet in ipſa meridie cœcutire. Sal enim volatile abſterſivum, quo gaudet, indubitatum de prædicta utilitate perhibet teſtimonium. Et ipſo facto unanimique Medicorum ſuffragio eandem comprobatam fecit Saliva. In inflammationibus, phagedænicis præſertim, puſtulis, morbillis, variolis, hordeolo, impetigine, & id genus aliis feſtinatam attuliſſe opem, teſtatur B. Etmullerus ê Deuſingio & Tackio. De ⊖e Cryſtallino, & 🜁re, cujus aucupio inde faciendo inhiarunt Artiſtæ, lege ſis Haffnienſium acta Borrichio autore publici juris facta. De Salivatoribus Hiſpanis, Salivæ ſuæ admixtione vulnera cacoethea & curatu impoſſibilia â pleriſquè credita ſanantibus Hiſtoria Medica indubitata fide teſtatur. Vel ſola Medicina, ê Saliva humana, per inſpirationem in cucurbitam ejusquè in illa concentratæ in vas ſuppoſitum deſtillationem facta, quam *Flatum Dei* nuncupare ſunt dignati, virtutes Salivæ medicamentoſas ad cœlum usque evehit.

§. 12. Hâc igitur alimenta dentibus comminuenda imprægnantur: Sed cui Scopo & fini? Dictum id ſupra eſt, ad promovendam nempe faciliorem (id quod tertium notatu dignum) vinculorum, quibus partes alimentoſæ cum reliquis in eadem compage cohærent, ſolutionem. Huic rei illuſtrandæ ἀναπόδεικτον ſubſternitur principium: Omne mixtum ê partibus ſuis communi vinculo in eadem compage cohærentibus eſſe coagmentatum. Pari jure de alimentorum Subſtantia pronunciandum; quæ ut naturæ pabulum evadant & partibus ſuis utilioribus nutritivis homini inſerviant, vinculis ſuis, menſtruo quodam quaſi ſolutis, liberari debent.

§. 13. Hæc mixta, δυχολομία â diverſitate vinculorum deſumpta, optimo diſpeſcuntur jure in ea, quorum partes vinculo oleoſo, & quæ Salino cohærent. Solertisſima quippe experientia conſtat, mixta ſolvi & deſtrui (violenter quidem) vel △e, vel [blande nimirum] ▽a. Horum vinculorum alte-

rum altero eſt potentius: Ignis enim, agens alias fortisſimum, cum notabili licet partium disſipatione mixta oleoſa ſolvat & deſtruat, elumbem tamen in mixta Salina ſolvenda ac deſtruenda vim obtinet, ut per aliquot etiam luſtra ⊖ vinculum ⊖inorum comburens, attamen vim ſuam â ⊖e experiatur eluſam: Contra ea ▽. prompte ſolvit ⊖ia. Hujus generis quoq; ſunt mixta alimentoſa, ſuisque vinculis, integra adhuc compage, coacta, quæ, in œconomiæ humanæ commodum, ſolvenda, ſuum quoque requirunt ſolvens ſeu menſtruum. Hujus vices ſubit Saliva intimius commiſcenda, non ſolum ut comminutio atquè alimentorum ſubactio eò felicius ſuccedat, ſed ſolutis quodammodo vinculis, prima inſimul fermentationis ſubſecuturæ rudimenta deponantur.

§. 14. Quod vero hoc ſolutionis opus â Saliva posſit præſtari, nullum reſtat dubium. Tria enim, quæ in Saliva obſervamus, ▽ nempe, ⊖, & ♎ nativis ſuis facultatibus præſto ſatis ſunt, ad id rite expediendum. Oleoſæ enim ſint & Salinæ proſapiæ alimenta, ▽., intime corporum contritorum poros, quadam quaſi circuminſesſione, penetrans & permeans, vincula laxando: ⊖, ob igneas, quas in ſeſe latentes habet particulas, calorem in ſolvendis excitando, & hoc pacto ♎us, ſuis antea compedibus conſtrictos, liberando: & ♎us tandem Salivæ, quo â primo ſtatim emunctorii, (in quo ob arctisſimam nervulorum, arteriolarum & venularum complurium συνδεσμὸν Spirituum cum Saliva connubium nullo negari jure poteſt) glandulæ puta Salivalis egreſſu erat inſtructus, cum ♎busâ ⊖e excitatis in commercium veniens, utriq; ſcopo Satisfaciunt.

§. 15. Prius autem, quam ad ſecundum chyli elaborandi focum deſcendamus, uni adhuc quæſtioni ſatisfacimus. An in Saliva fermentationis nimirum ſint principia, & ejusdem rudimenta in ore deponenda jure merito §. ſuperiori fuerint adſcripta? Præſuppoſitis enim irrefragabilibus fermentationis legibus, quæ ad omnem fermentationem calorem requirunt,

id

id quod ex maſſa farinacea & cereviſia recente fermentandis, frigori vero expoſitis inque fermentationis actu impeditis, contra calore iterum exſuſcitatis oppido liquet, quem Salia particulis ſuis igneis provocant: Spiritus itidem requirunt, quibus fermentum omnino valde adjuvatur, id quod ex præviis exemplis tam certum quam quod certisſimum. ▽am inſuper ſupponunt, ad Sal vinculum mixtorum potentius laxandum & faciliorem particularum ſeceſſum promovendum. His inquam, vi legum fermentationis, ſuppoſitis inque Saliva prærequiſitis ad notoria provocamus Phænomena: Quem enim latet quævis maſticata & Saliva imprægnata, dum aeri exponuntur, fermentare. Imo pharmacopæorum querelæ de famulorum & diſcipulorum ſuorum cupedioſorum omniaque in officinis grata delibantium aviditate & imprudentia, dulcia, Syrupos præſertim, linctu illorum vel halitu imprudenter in eadem immiſſo, per quam facile fermentationem concepiſſe. Ita Tartari ex lacte ab admixta ſaliva fermentato potum conficere dicuntur inebriatum.

§. 16. Chylus igitur elaborandus ê primo foco, ore nimirum, â potentiæ remotæ repagulis vindicatus, &, laxatis alimentorum vinculis, totaque illorum compage deſtructa, ad proximæ potentiæ thronum elevatus, recta via ad alterum focum, ventriculum, deproperat. Hoc ut fiat, deglutitio accedat oportet, ad quam promovendam, lingua veluti muſculus, ſuum peragit munus, alimenta rite contrita œſophagum verſus protrudendo. Alimenta jam in bivio conſtituta, ne larynge & œſophago oris cavum verſus proſpicientibus, â regia in pulmones delapſa aberrarent, ſedula id ipſum natura, laryngem epiglottide, quadam quaſi valvula recludens, præcavit. Non anxie perquiramus, an alimentorum per œſophagum ad ventriculum motus naturalis ſit an animalis? De hoc enim judicare eſt in proclivi, dum motum illum non in noſtra voluntate poſitum oppido apparet. Hoc unicum adjicimus: motum illum eſſe ſpiralem, & ſic compresſivum, periſtalticum

& propulſivum; Oeſophagus enim, utpote corpus tubulatum, lineis fibroſis ſpiralibus inſtructus, explicabilis eſt (paſſive, ab alimentis nempe â lingva eò protruſis) & complicabilis [active, â propria muſculi ſphincteris facultate motrice.]

§. 17. Hoc itaque motu alimenta ad ſecundum Chylificationis focum delata, in alio plane ſtatu ſpectantur. Hic plenariæ elaborationis eſt, non, quod Chylus omnes in illo perfectiones debitas & naturæ ſcopo velificantes acquirat, ſed quod ibidem non amplius in formæ ſuæ potentia lateat, ſed ipſum entitativum & formalem actum obtineat. In priori ſtatu alimentorum eorundemq; partibus intime & indiſtincte erat implicitus, nunc ex iisdem extro vertitur, & explicatus in propria exiſtit ſubſtantia, perfuſus tamen atque cum illis permixtus.

§. 18. Mutationem prædictam ut ex aſſe conſideremus, utroque reſpicimus oculo non ad ipſum ſolum focum ſeu officinam, ubi illa eveniat, ventriculi præſertim ſtructuram ruminando: Neque cauſæ hoc in opere præſtando concurrentes ſusq; deque habendæ, imo & modus probe probeque perpendendus. Ventriculi ſtructuram quod concernit, illam dextere & accurate ſatis delineatam legimus in Anatomicorum libris: Nec prolixius de eadem ut diſſeramus ulla nos urget neceſſitas.

§. 19. Pauca tamen noſtro ſcopo inſervientia huc transſcribere placuit; quod nempe ventriculus duplici inſtructus ſit orificio; ſiniſtro innumeris dotato ductibus nerveis, in quo appetitus, faſtidii &c. cauſa, non vero, Helmontii ſententia, animæ ſedes quærenda, utpote quæ non entitative κατ' οὐσίαν, ſed emanative ſaltem & κατ' ἐξουσίαν, evidentisſimam operationum ſuarum manifeſtationem ibidem præſens eſt. Dexterum, quo conſtat, orificium ordinario naturæ curſu nec nimis laxum neque juſto ſtrictius eſt. Quod ſi enim laxius, alimenta non ſatis cocta, neque vitali, uti loqvuntur charactere impreſſa, juſto citius onere ſuo ad inteſtina depro-

perant,

perant. Sin vero ſtrictius ſit, ultra conſvetam naturæ moram ibidem reſtitant, & diutius reſtitantia malignitatem ac varii generis corruptelas atque noxas contrahunt. Cavus etiam eſt & amplus ventriculus. Quo ipſo varios non ſolum, gravativos præſertim dolores, ab unico etiam bolo, ad inteſtina ſtatim delabente, oriundos, amoliri voluit providisſima natura, ſed commodisſimum etiam ad ſtatum & neceſſarium alimentorum penitus ſolvendorum tempus hoſpitium hoc ipſo conceſsit. Qua vero de cauſa rugoſus ſit ventriculus, ea vulgo profertur ratio, quod ciborum reliquiæ ab alimentis fermentatis atque rarefactis remanentes, inque illius rugis interea hoſpitantes alimentis noviter fermentandis fermenti naturam felicius inducere ac promovere valeant.

§. 20. In ventriculo ſic conſtituto plenaria (qua materiam & formam) inſtituitur Chyli elaboratio. Hoc equidem non adeo ad nonnullorum Salivam ſcribi recordamur. Sunt etenim complures, qui hanc in ventriculo mutationem Chylificationis titulo indignam arbitrantur. Ne vero rationibus ſuis deſtituti videantur, argumentantur ſequenti modo: (1.) Ubi alimenta ſaltim ad plenariam Chyli elaborationem diſponuntur, neque (2.) partes alimentorum utiles ab inutilibus ſegregantur, neque (3.) ultimus chylificæ impresſionis colophon imponitur, ibi nec inſtituitur plenaria chyli elaboratio: Concludunt ergo negative de primo prædictæ mutationis foco nempe ventriculo. Diſpoſitio etenim, quod probationis loco addunt, ad plenariam ejusdem tantummodo elaborationem, hoc jus potius inteſtinis vindicat. Deinde partium utilium ab inutilibus ſegregatio, in prædictis inteſtinis non ventriculo fieri ſolita, ultimum dat Chylo complementum & toti operi colophonem imponit.

§. 21. Verum enim vero dum ea reguntur opinione, ac ſi in toto hoc Chyli elaborandi negotio nulla alimentorum mutatio, quam pro diverſo foco diverſam ſubeunt Chylificationis nomine digna, quam quâ Chylus, pars nempe aſſumpto-

rum nutritiva ultimum cujuscunque perfectionis, naturæ velificantis, gradum eſt conſecutus, id mihi videntur ſupponere fundamentum, ac ſi in genere omnis mutatio ſive momentanea, tranſitus rei â non eſſe ad eſſe inſtantaneus, qualis generatio hominis, ſive ſucceſſiva, tranſitus rei â non eſſe ad eſſe per multos formæ acquirendæ terminos & gradus intermedios, (qualis motus chyli elaboratio) non prius denominationem motus ab ultimo termino inſigniti mereatur, quam acquiſito illo termino. Hoc equidem verum eſſe de ultimo formæ eſſentialis, utpote Chyli, qua Chylus eſt, termino, ambabus largimur manibus, ſed eundem demum in inteſtinis acquiri, id ipſum eſt, de quo exercitii gratia dubitamus. Ut adeo non plane negligendum ſit notiſſimum illud inter perfectionem accidentalem & eſſentialem diſcrimen: ſtatuimus ergo, Chylum perfectionem ſuam eſſentialem in ventriculo conſequi. Quicquid enim materia & forma Chyli conſtat, id vere & perfecte Chylus eſt. Atqui pars illa aſſumptorum in ventriculo tenuior, fluidior, albicans, gelatinoſa intime adhuc partes reliquas inutiles permeans conſtat materia & forma Chyli: E. De materia nullum eſt dubium: Formam eſſentialem ſupponit accidentalis, quippe Medici hactenus de pultacea illa Maſſa ejusque colore cremori Ptiſaneæ ſimili indubitato ſatis diſſeruerunt.

§. 22. Ad plenariæ hujus elaborationis cauſas quam descendamus, de modo & ratione formali prius diſpiciamus. Autorum ſententias examinantes, illas tot eſſe, quod capita deprehendimus. Veteres, Galenici præſertim, mutationis hujus formale in coctione atque elixatione collocarunt, ejusdem cauſam in ventriculi & partium vicinarum calore quærentes. Argumenta, quibus hodie profligata eſt veterum ſententia, inter alios evolve in B. Etmüllero. Nec recentiorum hac in cauſa legitur conſenſus. In hoc equidem conveniunt plurimi, chylificationem in ventriculo fieri non poſſe, niſi per fermentationem, inter hos vero nonnulli, uti prælaudatus B. Etmüllerus

tus, ipſam fermentationem pro formali hujus mutationis habuerunt, alii vero extractionem quandam fermentatione tanquam inſtrumento ſublevatam. In quo autem fermentativa hæc alimentorum in ventriculo fieri ſolita immutatio formaliter conſiſtat, operæ pretium eſt ulterius inquirere. Eandem vero hunc in modum deſcribimus: Fermentatio ventriculi, eſt motus quidam intrinſecus & agitatio particularum alimentorum, proveniens ab admiſtione fermenti ſtomachalis ſubacidi, virtute fermenteſcente ab effluviis Spiritualibus ê M. S. egredientibus magis magisque actuata, totam alimentorum maſſam penetrantis, ut pars illorum naturæ nutriendæ & reficiendæ utilis fluidior, gelatinoſior penitus ſolvatur ac reliquis craſſioribus liberetur, tandemq; fermento ſtomachali ſubinde materia ſuppeditetur.

§. 23. Chartæ anguſtia non permittit prolixius inhærere uberiori omnium ac ſingulorum examini. Neglectis igitur illis, quæ pro cauſis chylificationis falſo asſignatis & propugnandis & profligandis in utramque agitantur partem, de fermento ventriculi & effluviis Spirituoſis, quæ in fermẽtatione ſtomachali omne ferunt punctũ, noñulla ſed pauca interſeramus. Dari in ventriculo hominis fluidum quoddam, non excrementitium, limpidisſimum [in jejuno præſertim] ſero laudabili ſimile, oriundum partim â ſaliva deglutita, alimentorum reliquiis, imo ipſis etiam glandulis ſtomachalibus, quod cum alimentis commixtum fermentare ſoleat, apud plurimos eſt in confeſſo. Hunc liquorem, variantibus animantium Speciebus, ſpecifice quoque diverſum eſſe, omnibus quoque liquet. Sed variæ agitantur quæſtiones: num humor ille in ſtatu naturali acidus ſit? & an, in quantum eſt acidus, ad fementationis actum concurrat. Prius affirmamus, poſterius vero negantes. Sub acidum eſſe illum ventriculi humorem evidenter ſatis probamus ab humoris acidi in ore reſtagnantis obſervatione, imò vomitiones acres halitusque ſimiles de hoc ipſo teſtantur.

§. 24. Ve-

§. 24. Verum hujus liquoris aciditas an ſolutionis alimentorum ſtomachalis genuina ſit cauſa, ulterius diſquirendum? Menſtrua acida non indifferenter quodvis ſolvere corpus & pharmacopæi norunt. Ita ▽F. & ▽R. neque 🜃rea nequè reſinoſa ſolvit. ▽R. ſolvit ceram non vero ▽F. ☽ neque ▽F. neque ▽R. ſolvitur, ⊙ econtra in ▽R. Inde argumentamur: Quod ſuapte natura non eſt potens indifferenter quævis ſolvere corpora, illud non poteſt eſſe menſtruum ſolvens ſtomachale, Atqui humor ſtomachalis ſubacidus, quâ acidus eſt, non eſt potens indifferenter omnia aſſumta ſolvere E. Deinde: Si fortisſima acida non quodvis indifferenter ſolvunt, E. nec fermentum ſtomachi blande acidum, quatenus eſt acidum. Tandem & hoc abſurdum inde promanaret, quod humor ille, ſi omnia ſolvit quatenus eſt acidus, ipſam etiam ſtomachi ſubſtantiam aggrederetur, eandem corrodendo, utpote quæ acidi hujus humoris virtuti ſemper eſt obnoxia.

§. 25. Quid ergo eſt, quod in fermento prædicto, vim illam reſolutivam exerit? Id ipſum omninǫ principium aliquod vitale, amicum, non corroſivum eſſe debet, quod alimentis vitalitatis characterem imprimere potens: Et ſunt effluvia Spiritualia ê Maſſa ſangvinea egredientia ſeu ⁓us maſſæ ſangvineæ, fermentum ſuo modo actuantes.

§. 26. Sed properandum ad tertium focum, inteſtina nempe, in quibus conſummata chyli perfectio â natura inſtituitur. Et hæc perfectio, hoc in foco acquirenda, non eſt eſſentialis Chylo, cum ab illa ejusdem forma, perquam Chylus eſt, nullatenus dependeat, conſiſtit enim in ſegregatione ſubſtantiæ chyloſæ â reliquis pultaceæ maſſæ partibus, quibus hactenus erat commixta, ut puritate atquè fluiditate ſua majori ad tranſitum per inteſtinorum percolatoria, vaſa nimirum meſenterii chylifera, facilius diſponatur. Quomodo illa inſtituatur ſegregatio, planum fecerunt Medici. In inteſtino nempe duodeno quatuor plerumque digitos transverſos ſub pylo-

ro

ro duo propullulant humores, bilis nempe & Succus pancreaticus, qui alimentis in ventriculo fermentatis, illosque ſalientium ibidem humorum fontes prætervectis commixti, novam hanc cum illis mutationem ſeu motum inſtituunt. Modum, quo id fiat, eleganter expresſit D. Waldſchmidt in Inſtitutionibus ſuis.

§. 27. Igneæ bilis atomi in Sale ejusdem lixivioſo hoſpitantes partes alimentorum fluidas magismagisque incidentes, & volatilitale ſuâ easdem penetrantes, partium utilium ab inutilibus ſeceſſum promovent. Et hoc eo felicius ſuccedit â ſucco pancreatico in inteſtino prædicto, bili permiſto, ejusque ſal lixivioſum ſolvente, & atomos eidem incluſas â compedibus liberante. Hoc ipſo calor & obſervabilis excitatur effervescentia, quâ particulæ crasſiores & fœculentiores coeunt, fluidiores vero ad inteſtinorum latera ſecedunt.

§. 28. Chylus igitur hoc modo ab inutilibus partibus ſequeſtratus per vaſa lactea ad alias corporis partes, in deſcriptione Chyli ſuperius traditas, transfertur. Unicam huic capiti annectimus quæſtionem. An Chyli veri ad Mammas via detur, in quibus ſpecificum lactis characterem ſuſcipiat? Negativam defendentes prætexunt ſuo ſcopo viarum chyli ad mammas immediatarum ab Anatomicis nondum detectarum ignorantiam: quodve in mammis nemo hactenus vaſa chylifera demonſtraverit. Sed Affirmantes confugiunt ad vias obtutum noſtrum fugientes. Hoc ut verius faciant, negant lac in mammis generari, ſed immediate â Chylo ſuam originem ducere. Copiam lactis id ipſum commonſtrare arbitrantur, utpote quæ cum præſentisſimo vitæ periculo, ſtante negantium ſententia, eſſet conjuncta. Non nemo triginta lactis menſuras obſervavit vaccam una vice præbuiſſe, quæ, ſi lac ex ſangvine oriretur, ſine virium imo ipſius vitæ jactura tantam lactis copiam exhibere nequiviſſet. Probant etiam â lactis qualitatibus Chyloſis, quas lac ex Sangvine, depoſita Chyli natura, recuperare non poſſet. Experientiam etiam allegant: virtutes pur-

 gatrices

gatrices purgantium â matribus aſſumptorum, per lac ſtatim ſuum quoque in infantibus effectum præſtare. Croci aſſumpti odor & color in Matris lacte non ſangvine obſervatur. Reliqua omittentes, deſcendimus ad

Caput Secundum
De Chylo præternaturam.

§. 1.

Noſtrum omnino fuiſſet, exigente id rei utilitate pariter ac jucunditate, priori Diſſertationis noſtræ capiti accuratius & plenius ſatisfacere: Cum vero animus nobis fuit, prima ſolummodo materiæ hujus lineamenta ducere, & aliquam diſcurſui publico anſam ſuppeditare, in tanta præſertim materiæ ab aliis uberius & exaſciatius deductæ copia, chartæque anguſtia, placuit, miſſo Chyli elaborandi ſtatu naturali, ad præternaturalem ocyus deproperare. Et ſicuti hactenus hoc ipſum naturæ in chylo laudabiliter elaborando penſum, ad triplex trinæ officinæ & foci filum pro re nata pertexuimus, ita enormia ejusdem ἁμαρτήματα, quæ fatiſcens hoc in opere natura committit, eodem filo & ſtylo ſed presſius diducemus.

§. 2. In limine ſtatim pertenuis chyli felicius elaborandi ſpes oſtenditur, dum alimenta ipſis præ foribus officinæ primæ ut nauſeabunda faſtidiunt, & ita malo vel hæreditate accepto, vel ſtudio, præjudicio aliaque cauſa, â moleſtia ex aſſumptis, vel enormi humorum, bilis, ſucci pancreatici & pituitæ efferveſcentia, oriunda, omne alendæ & reficiendæ naturæ pabulum ſubtrahunt, vel parcius id ipſum admetiuntur. Nec ſperato hoc ipſum ſuccedit, cum nimia aſſumptorum copia, quibus ſubigendis riteque coquendis natura plane impar eſt, aggravatur, aggravata turbatur, imò de ſtatu ſuo dejicitur.

§. 3. Quod ſi primæ officinæ fores cardinibus ſuis ægre volvantur, nec liberior detur alimentis aſſumendis acceſſus, ſed

ſed janua potius ſit præcluſa; res eò pejus ſeſe habet; Id quod ſæpius accidit, cum muſculis temporalibus convulſis, paralyſi vel vulnere transverſo, contra fibrarum ductum, inflicto laborantibus, vel maxilla inferiore luxata, os nec ſatis (labiis prompte diductis) aperiri, neque (iisdem ex voto compresſis ſed hiantibus, uti in Spaſmo Cynico,) recludi poteſt. Et lingvæ ſæpius dicam ſcribimus, in alimentorum aſſumptione vacillantis, dum easdem ob cauſas, paralyſin nempe & convulſionem, ad promovendam liquidorum ſuccionem, & ſolidorum propulſionem nec ſatis exeritur, nec liberius hinc inde contorquetur.

§. 4. Maſticationis inſtrumenta, & quæ eidem peragendæ natura deſtinavit, ſi minus exacte ſe habeant, imo huic operi nullo plane modo ſatisfaciant, obex ſtatim felici chylificationis ſucceſſui ponitur: Ab illa enim hæc inſolidum pendet, ut ſuperius de probæ maſticationis necesſitate brevibus dictum eſt. Huic vero varia famulantur inſtrumenta: Maxillæ, dentes, lingva & ipſa ſaliva. Niſi maxilla inferior promptius ad ſuperiorem adduci, vel (quacunque de cauſa impedita,) ab eadem abduci, nec dentes, [vel deficientes, vel male conformati, nec ſatis ſibi inferius ſuperiusque adaptati, vel ſtupore, dolore, carie vel alia noxa laborantes,] alimenta confringere, nec lingva paralytica, convulſa, quovis modo vulnerata, frenoque ſuo minus dextere liberata, confracta agitare & totum maſticationis opus ſuo modo promovere posſint, univerſa natura hoc ipſum luere & chylificatio peſſum ire cogitur.

§. 5. Et ſi prædicta omnia ad naturæ leges maxime ſint conſtituta, vel Sola Saliva quocunq; modo peccans univerſæ corporis humani œconomiæ ſexcenta & illa quidem decumana mala inducere ſatis potens eſt. Si enim obſtructo vel exareſcente, unde promanat, fonte, nulla plane vel parcior fluit, prima alimentorum mutatio ſeu eorundem ad ſubſecuturam fermentationem diſpoſitio impeditur. Quæ ſalivæ, utpote menſtrui ſolventis, necesſitas ſit, non eſt ut prolixius demonſtremus,

id enim ex ſuperius traditis ut evictum ſupponitur. Hoc igitur cum deficit, nec primum ſolutionis opus adjuvat, aſſumptorum partes permeando, illarumquè vincula laxando, aſſumpta in compage ſua quadantenus integra nec diſcontinuata fermentationis ſtomachalis officinæ integra transmittuntur, hocque pacto transmiſſa, vix ac ne vix quidem â ſolo ejusdem fermento ſuperabilia, manent intacta, cruda, & veluti vappa chyloque extrahendo materia inutilis tranſit. Id quod vel nullo naturæ emolumento, vel irreparabili ſæpius ejusdem damno fieri, ſana ſvadet ratio. Silentii peplo involvamus noxias, quas ex ſcaturigine ſua affert, vel ex accidenti aliunde contrahit, qualitates, quarum peregrino atque maligno charactere totam alimentorum maſſam fermentandam corrumpit, inque detrimentum publici boni corruptam cum totius Reipublicæ exitiali damno ad omnes derivat partes.

§. 6. Quorſum quæſo Medicorum querelæ de nimia & exorbitante ſalſedine, aciditate, auſteritate, viſciditate, pingvedine? fœcundisſimæ ſunt tam innumerabilium malorum matres. Unde vehementem & præter naturam auctam derivant ſitim, quam ex prædicta Salivæ nimia & moleſta ſalſedine, qua ad potum affatim ingurgitandum adeo ſæpius provocantur, ut eandem levare cogitantes fermentum ſtomachale diluant plane & totum fermentationis opus proſternant, cruditates colligant, omniaque evertant. Appetitum & illum quidem ordinatum [unicam totius operis quaſi columnam,] ſalivæ viſciditate ac pingvedine proſterni, quis non intelligit. Et quis enumerabit tam prolixam morborum claſſem, qui ab eadem copioſiori, juſto fluidiori, nimis acida, amara & auſteriori dependent. Scorbutus uterque, hydrops, Phthiſis & alii morbi id ſatis teſtantur, quid, corruptâ maſsâ alimentaria & impedita fermentatione, tota natura detrimenti capiat.

§. 7. Nec inſons eſt ipſa alimentorum deglutitio; hæc enim, cum lingvæ & œſophagi beneficio maximam partem peragatur, impeditur, imò tollitur ſæpius utriusque vitio. Lingva

gva præſertim, ſi paralyſin & convulſionem perpeſſa, vel vulnere, ulcere & aliis doloribus debita ſua privetur agilitate & mobilitate, impotens plane eſt alimenta ad œſophagi introitum protrudere. Quid quod, Oeſophago, à ſolidioribus, accreſcentiis carneis, oſſe, nucleo vel quovis modo obſtructo, à tumoribus, ut in angina, ob ſui excoriationem compreſſo & coaleſcente, liberrimus alimentorum ad ventriculum tranſitus vel plane non, vel difficulter, cauſis prædictis mitioribus, conceditur, & hoc pacto alimentum ſubtrahitur, vel non ſufficiens advehitur.

§. 8. Ad ipſum deſcendamus ventriculum, viſuri, quid chylificationi felicius præſtandæ impedimenti ponatur. Hic quotidiana teſtatur experientia, quod alimenta in ipſo officinæ hujus limine, felicius licet eo delata, à naturæ ſcopo & meta ocyus ſæpisſime aberrent. Dum nempe temporis & moræ, quod naturæ ſtrictis legibus ſuis admetitur, penſum, non fideliter abſolvunt, ſed vel ilicò, ſtatim poſt ingreſſum, vel citius, quam decet, ex prædicta officina, imò toto corpore, deproperant, idque vel ſurſum, ut in vomitu, vel deorſum in lienteria. Hujus vero enormitatis culpa vel in ipſam impingitur officinam: Accidit enim ſæpius, ut irritata & ſtimulatione quavis concuſſa, atque fortius & inordinate commota officina, non posſit non omne, quod admiſit, dicto citiq foras pellere atque ejaculari. Hoc ipſum evenire videmus in illis, ubi ventriculus ab inflammatione, exulceratione & excoriatione à quacunque cauſa, humorum nempe in ipſa œconomia ſtabulantium, vel aliarum rerum intus admiſſarum aciditate nimia inducta, ventriculus nimium irritatur, contrahitur & ad ejaculandum ſtimulatur. Huc præſertim referenda omnia aſſumpta, quæ acredine ſua, non quidem indifferenter qualibet, ſed valde naturæ inimica, nauſeoſa, mordere, & ſpecifica quadam ſtimulatione pylorum conſtringere & totum ventriculum irritare valent. Hujus furfuris ſunt humores in nobis exiſtentes, v. g. bilioſus ſalinus acrior, pancreaticus aci-

acidior atque acrior, imo ipſa pituita noxiâ peccans qualitate, qui ob prædictas noxas ventriculum ad perpetuam nauſeam, vomitum & contractionem irritant. Nonne hoc pacto ſubtractis officinæ huic alimentis, non amplius reſtat, ex quô, publicæ ſaluti proſpiciens, ſaluberrimum corpori humano pabulum conficiat?

§. 9. Quod ſi vero deſtinata alimentis in ventriculo fermentandis mora pro naturæ ſtatuto obſervetur ſtrictius, ipſa tamen eorundem fermentatio mille modis depravari & â conſtituta naturæ meta deviare poteſt: Vel enim ſupra modum augetur, vel diminuitur, vel plane aboletur. Verum hic diſſertationis ſerra acriter reciprocatur, num detur fermentatio in ventriculo aucta, enormis, & toti naturæ noxia? Hic particulares propoſitiones faciendas eſſe plurimi teſtantur: nempe non indifferenter omnibus, ſed certis tantummodo ſubjectis, eandem nocivam eſſe, iis nimirum, qui ſolidioribus & longiorem in ventriculo moram trahentibus cibis ſunt aſveti, ad quos feliciter ſubigendos atque coquendos validisſimum requiritur fermentum: Hujus generis homines, ſi, cogente id necesſitate, molliora aſſumunt alimenta, quæ ab acriori fermento nimium citiusque reſoluta, & cruda adhuc ſtatim volatiliſata cum impetu & ocyus quidem in M. Sam præcipitantur, varias inde patiuntur alterationes.

§. 10. Ex Lindano Practici notabile deſumſerunt exemplum viri cujusdam durioribus alias alimentis aſveti, qui, mutato vitæ genere, mollioribus & delicatioribus uſus hecticam ſibi contraxit. His ſumptis & comeſtis per totum ſtatim corp⁹ phlogoſes patiebatur. Sed unde celeriores illæ phlogoſes? Ab alimentis ocyus reſolutis & chylo nimia ſua volatilitate impetuoſe ad M. S. deproperante. Idem accidit ſcorbuticis, in quibus â fermento acidiori & juſto volatiliori alimenta ſtatim funduntur, chylus crudior nec rite præparatus ilicò volatiliſatur & ſine mora cum impetu ad ſangvinem movetur. Hæ phlogoſes, quæ, exuſto nimis ſangvine, corpus ſiccius reddunt, hecticam ſæpius producunt atque extremam Atrophiam.

§. 11. Ad

§. 11. Ad hanc fermentationem auctam quod attinet, notat Sylvius, quod illa ſit noxia & h. l. intelligenda, quæ aliquandiu perennat, & alimentis cum ſingulari appetentia aſſumptis, inque naturæ commodum citius transmutatis, Plethoram & habitum athleticum cauſatur: Ex quo, teſte Hippocrate & experientia, non juſto tempore ſoluto, ingens homini periculum ex ejusmodi habitu athletico ſubnaſci. Sed ad hunc Sylvii locum annotavit B. D. Cramerus in annotationibus ad hunc locum M. S. Non adeo malum eſſe habitum athleticum ſeu plethoram ad vires, nec ulla conſtare obſervatione, illum habitum unquam fuiſſe malum. Ubi enim bona cauſa ſit, ibi bonum ſequi effectum. Quod ſi vero in ſtatu athletico adſit plethora ad ſangvinem, tunc ſtatum illum eſſe noxium, eo quod virium ſequatur proſtratio, &, ob vaſa nimis repleta & extenſa, & impeditum ſangvinis per minimas venas & arteriolas motum, omnium ferme functionum læſio.

§. 12. Quæ vero cauſæ ſint fermentationis diminutæ vel prorſus abolitæ, id perveſtigatu facile eſt. Illæ enim vel in ipſis aſſumptis quærendæ, cum nempe copioſius ingeſta, onere & pondere ſuo naturæ moleſta, fermentationem debitam impediunt. Et qualitatibus ſæpius noxiis peccant, & actui fermentativo obicem ponunt, v. g. alimenta nimis pingvia, Spiritus volatiliores abundantius propinati atque exhauſti. Verbo: quæcunque fermentum ſtomachale acidiuſculum, ejusque qualitatem fermentativam potentius infringere valent, quo minus viſcidiores alimentorum partes incidi & ſufficienter ſeparari posſint, illa omnia ad profligandum fermentationis opus concurrunt.

§. 13. Aboletur etiam & imminuitur fermentatio ob fermenti inopiam atque inertiam. Inopia & defectus fermenti â Saliva quavis de cauſa deficiente, provenit, cum v. g. non ſufficiens ex glandulis obſtructis ſegregatur ſaliva, vel copioſiori ejusdem exſpuitione non ſufficienti copia deglutitur, atque fermento ſtomachali materia ulterior ſuppeditatur: vel quando nimium ingurgitatis potulentis id ipſum dilui-

tur

tur. Iners plane redditur, ſi juſto pingvius, viſcidius, aquoſius, ob eadem ſalivæ vitia, ex alimentis, ſolis vel alio æſtu, nimio & inordinato corporis animique motu, quid quod medicamentis minus dextere propinatis, & reliquis humoribus vitioſis in corpore exiſtentibus contracta.

§. 14. Ne charta penitus excludamur, ad tertiam Chylificationis officinam feſtinare, & brevibus indigitare cogimur, quot modis liquidioris maſſæ alimentoſæ partis â craſſioribus particulis ſeceſſus præpediatur, & ſic, liberiori Chyli ad partes corporis nutriendas & reficiendas acceſſu præcluſo, Salus Reipublicæ microcoſmicæ evertitur. Ad hanc prædictarum partium ſegregationem concurrunt bilis, ſuccus pancreaticus & ſaliva. His rite conſtitutis Segregatio eſt facilis. Si nempe bilis, ſua volatilitate atque oleoſitate decente, inſtructa, viſcidiores partes fluidiores reddendo â reliquis liberat, Saliva prædictarum partium viſciditatem aquoſitate ſua minuit, ſuccus pancreaticus aciditate ſua moderata potentius ſolvit. Sed omnes, hæc ipſa præſtando ſint temperatiores neceſſe eſt. Sin minus & ſecius ſint conſtituti totum hoc vacillat opus. De his omnibus legi meretur Sylvius in Praxi ſua, ad quem brevitati ſtudens quemvis ablego.

§. 15. Hæc ſunt B. L. quæ hac in materia ſeligere & publico diſcurſui exponere volui, non eo animo, ac ſi vel nova, vel ab aliis ſat accurate ſcripta, exaſciatius edere propoſuerim; abſit: hoc enim eſſet poſt Homerum Iliada ſcribere. Sed hæc omnia eà tantum divulgantur mente, ut ſtudiorum meorum Patroni ac ſeduli Inſpectores intelligant, me in ſtudiis quicquam præſtare, nec plane otio vitam tranſigere voluiſſe. His interim alteris primitiis meis Academicis favete, & æquo veſtro judicio, ſicubi cæſpitavi, me in gravioribus ſublevate. Deum T. O. M. interea, devotis imploro precibus, ut totum ſtudiorum meorum curſum ad ſui Nominis gloriam & proximi emolumentum feliciſſime dirigat. Te vero, Præcellentiſ. atq; Experientiſſ. Dn. Præses, cujus hoc in conflictu operam privatis exoravi votis, tuo mihi ut adſis Præſidio atq; auxilio, maximo contendo opere.

Tantum!